

ramo, Gen VIII. Columbare nostrum et arca nostra Ecclesia est, quam ingressi sumus per baptismum: nidus noster Christi gremius est, in quo suaviter dormiit Joannes; gratia inquam et protectio ejus paterna. Quare si quis a columbari et arca, Ecclesia per hæresim, vel a nido suo, Christo, per peccatum abductus est, conetur quantocius revolare per pœnitentiam, tametsi centum milliaribus et longissime ab eo diaboli fraude abductus esset. Revertatur autem sicut columba illa, quæ ad arcam rediens, ramum virentis olivæ gestavit in ore suo. Ramus hic pœnitentia est, signum peccati abscedentis et gratiæ redeuntis. Viret, cum peccata nostra agnoscimus, et per contritionem detestamur: in ore eum gestamus, cum per confessionem peccata evomimus: oliva erit, cum per opera bona pro peccatis satisfaciemus. Ita rediit ad paternam domum filius ille prodigus, cum in se reversus dixit: *Surgam, et ibo ad patrem meum et dicam: Pater, peccavi in cœlum et coram te, etc.* Luc. XV. Dicat etiam pœnitens: *Surgam et ibo ad domum patris mei: et cum Davide: Qui dabit mihi pennas sicut columbæ? Et volabo et requiescam, Psal. LIV. et cum S. Job: In nidulo meo moriar, Job. XXIX.* Revertatur denique statim, quemadmodum et columba Noe. Corvus insidendo cadaveribus moras traxit, insonando suum cras, cras: unde factum ut nunquam redierit. Idem iis contingit, qui in sua conversione moras nectunt.

II. Columbæ felle carere dicuntur, quia eo non utuntur, adeoque bile carent, ut scribit S. Augustinus, tract. VII. in 1. ep. S. Joannis: ita communicaturus careat imprimis felle amaritudinis odii et invidiæ; siquidem eucharistia est sacramentum unionis cum Christo et Christianorum inter se. Hinc olim communicaturi prius osculum pacis sibi mutuo imprimebant: quemadmodum et columbæ se mutuo osculantur. In gestis patrum ordinis Cisterciensis, refertur de quodam monacho, quod quotiescumque ad divinum epulum accederet, tantam illi gratiam Deus concesserit, ut sibi videretur favum mellis comedere, quæ quidem dulcedo triduum semper integrum tenebat. Intermisit sanctum hunc morem monachus una vice, qua citra satis idoneam causam, reprehensio quodam fratre, nec prius reconciliato, sacræ mensæ mensæ accubuit, et ecce illi ipsum divinum pabulum eo die, in felle amariorum cibum vertitur, non impleto scilicet mandato Salvatoris: *Si offers munus tuum ad altare, vade prius reconciliari fratri tuo, Matth. V.*

III. Columbæ resident juxta fluentia aquarum et rivulos, Cantic. V. ut in aquis observent accipitres ex eorum umbra, ut ibi notat gl.

ord. et S. Gregorius alique. Sic communicaturus prius inspiciat conscientiam suam ejusque rivulos, actiones, intentiones, et si ibi observat umbram dæmonis, id est, peccatum aliquod mortiferum, (quod ita comitatur dæmonem, sicut umbra corpus: ita denigrat conscientiam, et privat lumine gratiæ, sicut umbram terram lumine solis) illico ab eo fugiat per pœnitentiam sacramentalem. Quinetiam si tantum hospitem, Christum, pro dignitate excipere, et copioso sacramenti adipe impinguari volumus, umbram etiam peccati lethiferi, hoc est, peccata venialia fugere, et minutiores maculas abstergere debemus. Tametsi enim veniales culpæ fructum s. communionis, adeoque augmentum gratiæ non impediunt, fervorem tamen charitatis et devotionis, qui potissima ad communionem præparatio est, valde restinguunt. Hanc ob causam Christus suis discipulis ante communionem pedes abluit, ut doceret quotidianas, quas contrahimus, sordes etiam tergendas esse, si fructuose communicare volumus. Et propterea S. Dionysius, c. VII. de cœlesti hierarch. scribit jam tunc in Ecclesia usurpatum fuisse cæremoniam, qua sacerdos celebraturus manus lavat, nec illas totas, sed extremos tantum digitos, ut moneantur communicaturi, non gravium tantum peccatorum sordes, sed minorum etiam defectuum pulveres excutere; ut possint dicere cum Davide, Psal. XXV. et cum celebrante: *Lavabo inter innocentes* (Hebr. *in innocentia*) *manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine.* Ecce in innocentia sua lavit etiam David manus suas intraturus ad tabernaculum; quid si ad Christum suscipiendum in sacramento venisset? Denique si Nabuchodonosor cibum de regia mensa non nisi iis constituit pueris, in quibus nulla esset macula, et qui decori essent forma, quanta obsecro puritas requiretur a Christianis cum Christo accubituris?

IV. Columbæ oculos habent simplices, non duplices et simulatos, quales habet vulpes, quæ cum videtur huc respicere, alio respicit: cum cœlum putatur intueri, ex obliquo tamen intuetur terram, aut ad prædam oculos dirigit. Commendantur eo nomine columbæ a Domino Matth. X. *Estote simplices sicut columbæ: et Cant. 1. a Salomone: Ecce tu pulchra es, oculi tui columbrarum.* Simplices autem oculos habent, primo, qui fidem hujus sacramenti simplicem, qui non curiose rimantur mysterii hujus profunditatem, sed cum animi demissione et gratiarum actione amplectuntur. Quando columba ex arca dimissa virentem ramum attulit, statim inde collegit Noe diluviaria cessasse; sciebat enim Noe non esse hujusmodi columbam, ut soleat latentes sub aqua ramos

tollere, quemadmodum possent aves aquaticæ, quæ natant, et collum immergunt aquis. Columbæ ergo sint oculi communicantium: non se ingerant in profunda mysteriorum, quæ latere voluit Deus.

Secundo, qui rectam intentionem habent. Columba compari suo fidem servat, ideoque in eum solum oculos figit. Ita communicaturus ad Dei solius gloriam attendat, et sponso suo Christo placere quærat. Non sit instar vulpis, quæ dum cœlum intueri videtur, terram aspiciat aut prædam, non quærat gloriam hominum aut commodum temporale, non attendat ad solum Ecclesiæ præceptum, vel aliorum hominum consuetudinem vel censuram. Sponso suo se unire, et in eum transformari quærat, hic omnium optimus finis; ut possit dicere cum apostolo: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus, Gal. II.*

V. Columbæ gemitum ex imo non tantum gutture, sed et pectore trahunt; unde meditari dicuntur Isa. XXXVIII. *Meditabor ut columba: et Isa. LIX. Quasi columbæ gementes meditabimur.* Inter optimas præparationes ad s. eucharistiam, prævia meditatio est, si attente consideremus primo, quis ille sit Dominus, qui venit? Nempe rerum omnium conditor, monarcha cœli et terræ, judex vivorum et mortuorum. Secundo, ad quem, venit? Ad me, scilicet pulverem et cinerem, nec semel ipsius læsæ majestatis reum. Tertio, ad quid venit? Nimirum ut me fructu passionis suæ ditet; donisque suæ gratiæ beet. Quarto, cur venit? Non sane proprii commodi gratia, cum nullius egeat, Dominus omnium; sed mero amore mei, ut mihi bene sit.

Imprimis vero conducit meditatio passionis Domini, cujus memoriale est s. eucharistia, ad hoc præcipue instituta, ut mortem Domini annuntiarem. Quare si velimus animam nostram in Dei amore liquefieri, communicaturi mentem in certo passionis mysterio defigamus; quod docet S. Bonaventura, tract. de præparatione ad missam.

VI. Dum comedunt vel bibunt columbæ, subinde ad cœlum attollunt oculos et caput. Faciat et hoc communicans: et imprimis occupet se in divinis laudibus et prædicandis Dei beneficiis, præsertim redemptionis et præsentis communionis, dicat cum Hebræis: *Manhu? Quid est hoc? Unde mihi hoc manna? Unde tantus mihi hospes? Dicat cum Daniele in lacu constituto, cum cibum sibi a Deo per Habacuc transmissum accepit: Recordatus es mei, Deus, et non dereliquisti diligentes (Gr. quærentes) te, Dan. XIV. Deinde, excitet in se actus amoris divini, quasi conetur amplexari et deosculari*

Dominum suum; dicatque ei: *Diligam te, Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum et refugium meum et liberator meus, etc.* Postmodum commendet se suaque omnia Christo hospiti suo, aperiat ei vulnera et miseras suas: postulet auxilium, nec dimittat Dominum, donec benedictionem impetret ab eo. Sic enim Esther illa petitionem suam ad regem distulit eousque, donec ad convivium ab ea paratum veniret; et tunc non difficile impetravit. Denique, simus memores accepti beneficii, et sicut Moyses reposuit certam mensuram de manna in arcam, ut in futuras generationes asservaretur et a posteris sciretur, quo genere ciborum Deus in deserto pavisset populum suum: ita memoriæ tanto diligentius mandandum communionis beneficium, quanto præstantior in ea cibus nobis datus fuit, quam esset manna.

VII. Columbæ non sedent super cadavera, quo modo corvus ille a Noe dimissus, Gen. VIII. Hinc enim columba ad arcam rediit, quia: *Non invenit ubi requiesceret pes ejus.* Corvus vero minime rediit, quia invenit ubi sederet, super cadavera videlicet natantia in undis, quæ horruit columba. Itaque communicans videat dimissus e templo post communionem, ubi sedeat et quiescat. Si enim statim a communionem ad fabulas, otiosa verba, inconditos risus, computationes, commercia sæcularia convertatur, si ad priora demum peccata redeat, corvus est, non columba. Si vero cadavera peccatorum suorum per pœnitentiam demersa fugiat et horreat, si mundi illecebras fastidiat, si nihil in hoc mundo desideret, sed Christum tantum et cœlestia quærat, si volatu cœlestium meditationum se occupet, si in laudibus divinis, si in exercitio amoris Dei, se in gratiarum actione, si in solitudine et silentio, si in mortificatione sensuum, etc. columba est, quam cœlestis Noe Christus suo tempore apprehendet et inferet in arcam suam, quietem scilicet æternam.

CONCIO VIII.

DOCUMENTA.

- I. — Quam sublimis res diligere Deum. — II. Mandata Dei servari possunt. — III. Non soli fidei, sed dilectioni etiam promittitur Dei gratia. — IV. Pacis bona. — V. Pellendus inutilis timor et servilis. — VI. Mors piorum gaudio potius quam mœrore prosequenda. — VII. Diabolus morientibus maxime insidiatur.

THEMA.

Paracletus autem Spiritus s. quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. Joann. XIV.

Magnus ille concionator. Spiritus sanctus, au-

ditores, hodie de cœlo venit, et per ora apostolorum primam suam concionem ad quam plurimas nationes habuit, convertitque simul tria millia hominum. Porro ad eam concionem convocavit homines ex universa urbe per tonitru et fragorem de cœlo editum quasi per campanam unaque ejus interventu disposuit hominum animos ad excipiendum Spiritum sanctum, docens interim et hoc, sonum evangelii in omnem terram exiturum. Ergo auditores, cum campanæ sonitus vocat vos ad concionem, creditote vos audire sonum illum de cœlo factum : cum loquitur concionator, existimate vos audire loquentes apostolos : cum verbo Dei incalescitis ad amorem Dei et virtutis, vel ad peccatorum detestationem, certe persuadete vobis ignem Spiritus s. descendisse in corda vestra. Nunc igitur audiamus, quam suggeret et dictabit cœlestis ille doctor, doctrinam evangelii, quod hodie lectum fuit.

I. Audiamus quanta et quam sublimis res sit diligere Deum. Non enim solum compensat Deus homini dilectionem istam reciproca charitate et infusa gratia, sed præterea seipsum realiter ipsi communicat, in ipso velut in templo sedem sibi collocat : perinde fere ac Verbum assumens humanam naturam, eidem illapsus est personaliter. Et sicut beatus est realiter præsens, cum illis suam essentiam per visionem beatificam et lumen gloriæ ostendit, eamque eis possidendam communicat, sic etiam est in anima sancta ; ac proinde in eam, suam effundit gratiam, charitatem aliaque dona. Sol cum oritur, mox suam lucem, radios et calorem hominibus communicat, non tamen seipsum secundum substantiam. At Deus statim ac gratiam suam infundit animæ, etiam ipse eam novo modo inhabitat, non eo solum, quo alia omnia, sed peculiari. Itaque dato, quod alias non esset realiter præsens animæ : posita in eo gratia, statim fieret præsens, non ut Deus tantum, sed ut pater et amicus, ut docet Suarez, l. XII. de Deo trino et uno, cap. V. et alii. Colligitur hoc ex hodierni evangelii verbis : *Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus*. Ex hac deitatis communicatione sequitur animæ summa cum Deo unio, elevatio et quasi deificatio, ita ut homo fiat Dei filius et hæres regni cœlestis, omniaque eius opera eleventur ad summam dignitatem : ita ut sint opera filii Dei et cœlo digna : denique ipse quasi Deus quidam fiat, uti appellatur a S. Basilio, ho. de Spiritu sancto. Gloriantur gentiles aliqui a diis se prognatos, quæ opinio etsi falsa, multum tamen eis profuit, hinc enim ad magna se natos rati, magna et fortia designabant facinora, supra vulgi consuetudinem. Quo ergo verius Christiani sunt

filii Dei, eo acriori stimulo ad heroica virtutum opera impelli debent. Audiant S. Cyprianum, l. de spectac. dicentem : *Nunquam humana opera mirabitur, quisquis se cognoverit filium Dei : defecit se de culmine generositatis, qui admirari aliquid post Deum potest* : cum ergo blanditar tibi caro, dic : Filius Deusum, ad majora natus sum quam ut ventris me mancipium faciam : cum tentat mundus et ostendit divitias, dic : Dei filius sum, cœlestibus operibus destinatus, etc. Cum invadit dæmon honores promittens : Dei sum filius, absit ut mancipium me efficiam diaboli, regno æterno natus sum. Et tamen cum tanta sit eorum dignitas, qui diligunt Deum, tam facilis etiam et suavis res sit diligere summum et incommutabile bonum, paucos nihilominus esse qui diligunt Deum indicat Dominus in hoc evangelio cum ait : *Si quis diligit me, q. d. magna res, si talis quis reperitur ; quo modo alibi dixit : Si quis vult venire post me, etc.* Plerique omnes ea tantum diligunt, quæ sensibus percipiunt, terrena tantum sectantur, cœlestia nil curant. Quibus indignatur David, Ps. IV. dicens : *Filii hominum usquequo gravi corde ? Ut quid diligitis vanitatem, et queritis mendacium ?* Hebr. habetur : *Filii viri usquequo gloriosi mei ad ignominiam diligentes vanitatem, queritis mendacium ?* Vere gloriosi, vere inelyti sumus, filii magni Dei, ut quid ergo ad ignominiam nostram diligimus vanitates ?

II. Audimus mandata Dei servari posse ; alioquin frustra diceret Dominus : *Qui diligit me sermonem meum servabit*. Ergo qui mandata non servat, non diligit Deum, proinde nec diligitur a Deo et consequenter velut reprobis adjicitur in gehennam. Damnant ergo hic hæretici seipsos, dum aiunt se mandata Dei servare non posse.

Neque solum servari, sed facile etiam servari posse indicat Dominus illis verbis ; quia amanti nihil est grave. *Quomodo enim grave est, inquit S. Augustinus, de natura et gratia, c. LXIX. cum sit dilectionis mandatum ? Aut enim quisque non diligit, et grave est : aut diligit, et grave esse non potest*. Unde S. Joan. ep. 1. c. V. *Hæc est charitas Dei, inquit, ut mandata ejus custodiamus, et mandata ejus gravia sunt*. Charitas ergo facit servare, et facile servare mandata. Quis labor durus matri, impensus filio quem diligit ? Quis venatori, qui venationem ? Quis studioso, qui studia amat ? Ad hanc causam accedunt alia ; veluti quod Christus legem maximopere alleviavit, dum caeremonialia et judicialia veteris legis præcepta sustulit, moralia solum legis naturæ, decalogum scilicet reliquit et pauca evangelica addidit. Rursum quod dat gratiam quasi alas, quibus volumus ad præceptorum observatio-

nem ; quasi rotas, quibus currum trahamus. Denique, quo exemplo suo prævit : præmisit etiam sanctos, qui non præcepta tantum, sed et consilia impleverunt, martyria subierunt, vitam anachoreticam duxerunt, etc. Taceo promissa cœlestia.

III. Audiamus non solum fidei, sed dilectioni et mandatorum observationi promitti Dei gratiam, ac proinde etiam gloriam : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diligit eum*. Quod etiam paulo ante dixerat : *Si diligitis me, mandata mea servate*. Qui enim diligit Deum, debet ea diligere quæ Deus diligit ; ea odisse quæ odit, ait S. Augustinus, ergo et amplecti quæ præcipit, cavere quæ vetat. Quare si fidelis renuit operari, cum debet, perdit gratiam quæ est vita animæ, ac proinde moritur secundum animam, et habet fidem mortuam ut docet S. Jacobus, c. II. Quemadmodum vero in equo mortuo nemo iter facere potest, ita per fidem mortuam nemo ad gloriam ingredi. Videmus subinde milites ob delicta leviora imponi machinæ lignæ in asini figuram efformatæ, eique insidere tota die, interim tamen ne passum unum progredi, quia ligneo insident asino. Tali jumento inequitant hæretici, qui sola fide confisi sperant se ad cœlum ituros, cum nec passum unum faciant.

IV. Audimus pacem semel, iterum, tertio nobis inculcari : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis*, quia nimirum magna sunt pacis bona. Primo enim, pax omnia in suo vigore conservat, discordia omnia dilat et labefactat. Unde Empedocles Pythagoreus mundum dicebat constare concordia, discordia autem dissipari. Linguarum unio turrim Babel altissimam extruxit, divisio dissipavit. Hinc Pharao ut Israelitas in servitute contineret divisit a se mutuo, dispersens per Ægyptum ad colligendas paleas, Exod. V. Divide ignem, extinguetur, divide flumen, amittet vim : Euphrates flumen quandiu unitum, tandiu inexpugnabile Babylonis præsidium erat. Nam ut ait Xenophon, lib. VII. *Euphratis latitudo est plusquam ad duo stadia, et profunditas tanta ut nec duo viri alter super alterum stantes super aquam emineant*. Ubi tamen Cyrus in plures eum fossas divisum derivavit, nullo negotio et quasi siccis pedibus cum exercitu transivit et Babylonem occupavit, Balthasarem interfecit, (Ban. V.) ut scribunt Xenophon, l. VII. Herodotus, lib. 1. Secundo, pax est omnium rerum tranquillitas et suavissima harmonia ut ostendit D. Aug. l. XIX. de civ. cap. XIII. « Pax corporis, inquit, est ordinata temperatura partium : pax animæ, ordinata requies appetitionum : pax animæ rationalis ordinatæ cognitio-

nis, actionisque consensus : pax corporis et animæ, ordinata vita et salus animantis : pax hominis mortalis et Dei immortalis, ordinata in fide sub æterna lege obedientia : pax hominum ordinata concordia : pax domus, ordinata imperandi atque obediendi concordia cohabitantium : pax civitatis, ordinata imperandi atque obediendi concordia civium : pax cœlestis civitatis ordinatissima et concordissima societas fruendi Deo et invicem in Deo : pax omnium rerum tranquillitas ordinis. » Ubi ergo pax est, ibi omnia suaviter degunt : ubi discordia, ibi omnia perturbantur. Unde David : *Ecce quam bonum et quam jucundum, ait, habitare fratres in unum !* Tertio, pax est inchoatio vitæ cœlestis, adeoque terrena quædam beatitudo, promovens hominem ad cœlestem. Ideo forte Dominus in hodierno evangelio duplicavit nomen pacis, ut pacem tam hujus quam alterius sæculi nobis daret : primam hujus vitæ : *Pacem relinquo vobis*, alteram cœlestis patriæ, quam notanter vocat pacem suam, quia perfecta est : *Pacem meam do vobis*. Denique, est quidam typus SS. Trinitatis, in qua sunt tres Personæ, una tamen deitas, una voluntas, unus amor, unus omnium consensus. Hinc igitur gratissima est Deo pax, ita ut *Deus pacis* vocetur ab apostolo, II. Cor. XIII. Et si D. Cypriano credimus, propterea Deus ad munera Abelis respexit, ad Cain ejusque munera non respexit, quia ille pacem, hic discordiam cum fratre habuit, refertur, dist. XC. cap. *Nec ad Cain* ; et si D. Greg. fidem damus, propterea Deus in mundum venit, ut doceret pacem, ut refertur XXIII. q. 1. c. *Nisi bene*. Idcirco nato Christo, pax mundo denuntiatur ; discedens ad mortem pacem suis relinquit ; resuscitatus a morte pacem eis rursus precatur.

V. Audimus pellendum esse ab animo noxium et inutilem timorem : *Non turbetur cor vestrum, neque formidet*. Quia sicut pax amica est dilectioni, ita timor inimicus. Unde I. Joan. IV. dicitur : *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem*. Vult nimirum Dominus noster magnanimos habere servos, quales describit Sapiens, Proverb. XII. *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit* : et Prov. XXVIII. *Justus quasi leo confidens absque terrore erit*. Neminem enim leo timet, unde in aperto dormit. Ratio est primo, quia timor servilis imperfectionem continet, nimirum amorem sui et diffidentiam de Deo. Unde subdit Joannes : *Qui autem timet, non est perfectus in charitate*. Secundo, quia ut ait S. Joannes, ep. cit. *Timor habet penam*. Alii tormentum, alii cruciatum vertunt. Solet dici : *Pejor est bello timor ipse belli*. Ita sæpe rei supplicis addicti magis affliguntur timore et apprehensione mortis, ad quam damnati sunt,

quam ipsa morte; singulis enim momentis ita anguntur, ut millies mori videantur. Tertio, quia rationem obnubilat, indeque facile in verba et signa externa prorumpit, ac defendit sæpe et laudat, quæ sunt noxia et turpia; quo modo ebrius placet incompositi sui gestus et stulti mores de quibus tamen postea sobrius erubescit.

Porro recte monet Christus ut non turbetur cor; hoc est, ne timor et perturbatio sit deliberata et voluntaria, adeoque admittatur in cor. Nam indeliberatæ perturbationes declinari nequeunt, nec sunt peccata. Solemus nos Germani focum extra hypocaustum habere, ne fumo molestemur. Eum in modum perturbatio si qua advenit, contineatur extra cor, ne rationem turbet. Agesilaus rex Spartæ, teste Plut. in Lacon. cum podagræ doloribus arderet, eumque invisisset Carneades, tristis ab eo recedens: *Mane*, inquit, *Carneades, nihil enim illinc huc venit*, ostensis pedibus et pectore; sentiens pedes quidem dolere, animum vero non dolere. Hunc in modum, siquidem naturalis timor et perturbatio nos invadit, demus operam, ut si a mente et cogitatione excludi nequeat, in cor saltem non ascendat. Admittitur vero in cor perturbatio, cum ratio ei succumbit voluntarie, nec resistit pro viribus. Esse autem in voluntate nostra victoriam perturbationum, adjuvante gratia, eo ipso ostendit Dominus, quo præcepit in hodierno evangelio: *Non turbetur cor vestrum*.

VI. Audimus mortem piorum amicorum gaudium potius quam mœrore prosequendam: ait enim Dominus: *Si diligeritis, me gauderitis utique, quia vado ad Patrem*, id est, ad mortem, docens et ostendens, cum chari quos diligimus, de sæculo exeunt, gaudendum potius quam dolendum, inquit D. Cyprianus, in lib. de mortalit. Idque confirmat ex apostolo ad Philipp. 1. dicente: *Mihi mori lucrum*, subjungitque: « Lucrum maximum computans jam sæculi laqueis non teneri, jam nullis peccatis et vitiis carnis obnoxium fieri, exemptum pressuris argentibus et venenatis diaboli faucibus, liberatum ad lætitiæ salutis æternæ Christo vocante proficisci. Hæc causa est cur sanctorum fatales dies cum gaudio celebremus, nec dies fatales *natales* appellemus, quia in iis cælo nati sunt. Epaminondas Thebamarum dux in prælio vulneratus: « Primum an clypeus salvus esset, deinde an fusi hostes penitus forent, interrogavit, quæ postquam ex animi sententia comperit: Non finis, inquit, commilitones meæ vitæ, sed melius et altius initium advenit. Nunc enim vester Epaminondas nascitur, quia sic moritur. » Ita Val. M. lib. III. cap. II. Quanto verius ita loqui servi Dei morientes possunt, quia non in ore hominum, sed in cælo perpetuo victuri hinc disce-

dunt? Id tamen prius investigare et quidem sedulo debent, an eorum conscientia salva sit, et an vitia expugnata. Idem auctor l. V. cap. X. refert Xenophontem sacrificantem, intellecta filii majoris natu Grylli nomine, cæde, coronam capiti detraxisse; ast ubi audivit fortissime pugnantem interiisse, capiti reposuisse; quasi majorem ex virtute filii voluptatem, quam ex morte amaritudinem sentiret. Quod si ista ethnici, quanto æquius Christiani.

VII. Audimus diabolum potissimum morientibus insidiari. Etenim Dominus finita cœna et sermone ad mortem perrecturus ait: *Venit princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam*. Vult dicere: Diabolus jam parat mihi funes, flagella, spinas, opprobria, crucem, per satellites suos Judæos et carnifices, ut meam patientiam et virtutem tentet, imo ipsemet sedulus aderit et incitabit in me canes illos, capere me volens. Quod si Christo morienti adeo insidiatus fuit, haud dubie etiam morientes alios sedulo observabit. Scimus eum S. Martino morienti adstitisse, et his ab eo verbis compellatum esse: *Quid hic adstas, cruenta bestia, nihil in me funesti reperies*. Vidit eundem S. Antonius statura ingenti ad nubes usque protensa, brachiis extensis animas ad cœlum evolantes, quas poterat comprehendere ad terram dejicientem, ut refert Athan. in vita S. Antonii. Unde didicit Antonius dæmonem omni conatu impedire morientium salutem. Demus igitur operam, ut nihil in nobis, eo præsertim tempore, inveniat de suo. Exsolvamus hic dum possumus omnia debita nostra tam quæ proximis, quam quæ Deo debemus, et componamus rationes nostras, ne deprehensus ibi ex alto deiciat, sive in purgatorium, sive in gehennam. Refert celeberrimus concionator p. Georgius Scherer super hanc dom. terribilem visionem nobili cuidam Austriaco ante non multos annos ostensam morienti, tetros scilicet aurigas lectum ejus circumstantes et animam expectantes, quibus ipse jusserit dari prius jentaculum, asserens adesse tempus conscendendi currum et abeundi. De hæresiarcha illo Andrea Carlostadio scribit Florimundus Raymundus, l. II. de orig. hæer. c. VII. his verbis: « Basileam evocatus, concionatoris munere aliquandiu ibi functus est: quumque die quodam concionem haberet, vidit magnæ stature hominem templum intrantem, et ad latus consulis cœsidentem. Finita concione Carlostadius quærit ex consule quisnam vir ille esset insolitæ stature, qui juxta ipsum consedisset. Consule vero respondente neminem a se visum, totus consternatus una cum consule domum contendit. Advenienti domestici narrant, magnæ stature hominem ædes ingressum, filium ipsius medium arripuisse, et

in altum elevatum, sine ulla læsione in terram decidere permisisse, additis his verbis: Patri suo multam salutem dicere, quem intra triduum esset visurus. Accedente ad reliquas animi et corporis miserias hac quoque consternatione, Carlostadius post triduum extremum vitæ diem clausit. Hunc quidem dæmonem fuisse, a quo, ut Brutus olim a malo suo genio, tamquam *va-dimonio* ad mortem evocatus fuerit, dubium non est. » Sic ille.

Deus nos custodiat ab hujusmodi hospitibus et aurigis; sed et ipsi quoque custodiamus nos: si enim in vita nihil cum principe illo habuerimus commune, nihil ille nobiscum habebit in morte: « Unde curandum nobis est (verba sunt S. Gregorii, hom. XXXIX. in evangelia) et cum magnis quotidie fletibus cogitandum, quam rabidus, quam terribilis sua in nobis opera requirens, in die nostri exitus, princeps hujus mundi veniat si etiam ad Deum carne morientem venit, et in illo aliquid quæsit, in quo suum invenire nihil potuit. Quid itaque nos imseri dicturi, quid acturi sumus, qui innnumera mala commisimus? Quid requirent adversario, et multa sua in nobis inventient dicemus, nisi solum, quod nobis est certum refugium et solida spes, quia unum cum illo facti sumus, in quo princeps hujus mundi et suum aliquid requisivit, et invenire minime potuit, quoniam solus est inter mortuos liber. » Itaque auditores, Christo adhæreamus, Christo nos uniamus; sic malignus ille nihil in nobis de suo reperiet in morte.

CONCIO IX.

MYSTERIA.

- I. Quomodo SS. Trinitas venit ad hominem diligentem Deum?—II. Spiritus s. cur Paraclitus dicitur? Cur Spiritus? Cur sanctus?—III. Quomodo Spiritus s. missus in Christi nomine?—IV. Quid illa pax quam dat Christus, eam dat non ut mundus?—V. Apostoli an Christum non dilexerint?—VI. Quomodo Pater major est Filio?—VII. An apostoli non crediderint nisi post eventum prædictionis?—VIII. Cur diabolus vocatur princeps hujus mundi?—IX. Quomodo nihil habuit in Christo?—X. Quot et quibus formis apparuit Spiritus sanctus? 1. In specie columbæ. 2. In specie nubis. 3. In flatu. 4. In specie ignis et venti.

THEMA.

Paraclitus autem Spiritus sanctus suggeret vobis omnia quæcumque dixerit vobis. Joan. XIV.

Non frustra aut inconsulto fit, auditores, ut in suggestis concionatorum pingatur Spiritus sanctus capiti concionantis imminens. Id enim absque dubio veteres Christiani ex hodierno evangelio hauserunt, in quo Spiritus sanctus

dicitur apostolis suggesturus omnia, quæ ipsis prædicanda erant: *Ille vos docebit omnia*, inquit Dominus, *et suggeret vobis omnia, quæcumque dixerit vobis*. Non apparet autem ratio, cur dicamus solis apostolis et non aliis quoque verbi divini præconibus, hunc doctorem et suggestorem promissum esse; siquidem non minus indigent alii concionatores opera Spiritus sancti quam olim indiguerint apostoli. Scimus certe ex rebus gestis D. Gregorii Magni Petrum diaconum testatum esse, se Spiritum sanctum columbæ specie supra ipsius caput, dum dictaret libros, sæpius vidisse. Itaque Spiritus sanctus doctor et inspirator est omnium concionatorum qui legitime ad hoc munus vocantur: ipsi instrumenta et quasi linguæ ejus sunt: ille ventus, isti vela: ille fluvius, isti rotæ molendini: ille follis, isti fistulæ organi sunt. Atque hic doctor est, qui hodierno die in hunc ipsum finem de cælo in terram missus est, quo aspirante et suggerente perspicua faciemus, quæ non nihil obscura sunt in hodierno evangelio.

I. Quomodo SS. Trinitas venit ad hominem diligentem Deum? Resp. non venire per motum localem (Deus enim per essentiam, præsentiam, et potentiam ubique est, adeoque in quovis etiam homine) sed per novam operationem supernaturalem, dum vere et realiter adest et inest homini velut amicus; dum sua gratia eum exornat, suo lumine illustrat, fovet, tuetur, perficit; dum in eo sibi complacet; dum in eo colitur veluti in templo residet veluti in regia aut throno suo princeps, etc. Quemadmodum enim sol dicitur ad nos ascendere et venire, cum antipodas deserens supra terram emergit suoque lumine nostrum hemisphærium illustrat, suo calore fovet, suo vigore omnia progignit, tametsi tunc nihilo nobis sit vicinior (terra enim respectu cœli non nisi instar unius puncti est) ita Deus qui prius quidem intime adest omni homini, cum per gratiam in eo habitare incipit, mutat in eo noctem in diem, vivificat hominem prius mortuum, fovet, illustrat, recreat, fœcundat, etc. uti sol terram quam contuetur. Ad hæc quemadmodum corpus cum informatum ab anima, vivere incipit et vitales actiones edere; quod alioquin non nisi cadaver foret, si anima in eo per modum inquilini solum habitaret: ita homo in quo per gratiam habitat Deus, vivit spiritualiter; is vero in quo per omnipræsentiam tantum suam est, vita caret et cadaver est.

II. Spiritus sanctus cur Paraclitus vocatur? Resp. paraclitum significare consolatorem, exhortatorem, advocatum. Est ergo consolator in adversis et tribulationibus, maxime in peccatis. *Consolator* inquit S. Greg. hom. XXX. de hodierno festo, *idem Spiritus vocatur, quia de peccati per-*